



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXVII. Continuatio ejusdem Historiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

corrigi, & emendari in suis defectibus, paratusque sit  
auxilia ac media acceptare.

## MEDITATIO CCCXVII.

### *Continuatio eiusdem Historiæ.*

**PUNCTUM I.** *Et cum videret IESVS concurrentem tu-  
bam* (cujus non plausum, sed Fidem & obstinatio-  
nis emendationem intendebat) *comminatus est Spiritus  
immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio  
tibi: exi ab eo: & amplius ne introëas.* Marc. 9. v. 24. Hoc  
præcepto, & comminatione ejectus est à Christo et  
homine Spiritus immundus, surdus, & mutus. Hanc  
leviores pænas, & mala Christus non tam Spiritus  
immundo, quam tibi ipsi comminatur tum in hac vi-  
ta, tum in altera, si munditiam Conscientiæ tibi non  
procures; si ad Divinas & humanas admonitiones ob-  
surdescas; si Superiori & Patri Spirituali statum Ani-  
mæ tuæ per silentium tegas. Consideratâ hac Chri-  
sti comminatione & imperio, quod hætenus non sa-  
tis perpendisti, exhibet à te Spiritus immundus, *surdus,*  
& mutus. Non tamen satis est, ut solùm exeat: sed  
eadem consideratione curandum est, ut amplius ne  
introëat: ne fiant novissima peiora prioribus propter  
ingratitude, & desperationem constantis emen-  
dationis.

**PUNCT. II.** *Et exclamans, & multum discerpens  
eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi  
dicerent: quia mortuus est.* Marc. v. 25. Sic, quando et  
Anima pellitur immundus, surdus, ac mutus Spiritus  
tutus, qui ab infantia, vel per longam consuetudinem  
stabile



stabile domicilium propter habitus malos habuit, reclamante, & reluctante nostra corrupta natura, exclamat quidem, & multum discerpit nos; sed hoc clamore, sicut Christus, terreri non debemus, quin antiquum hospitem serio & constanti decreto expellamus, & nos ipsos per internam ac externam Mortificationem mortuis similes faciamus; ut in vero sensu etiam dici possit: *Quia mortuus est.*

PUNCT. III. *JESVS autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Marc. v. 26. Sic à peccatis, malis consuetudinibus, & habitibus per vires naturales & proprias ad Vitam Spiritualem & ad operationes Vitæ Spiritualis surgere non possemus, nisi DEVS manum nostram teneret, & apprehenderet per Gratiā, nec per subtractum auxilium Gratiæ retraheret. Quemadmodum verò nemo vitam corporalem sibi adimit, spe miraculosæ Resuscitationis; ita nec Spiritualem sibi quisquam auferat, cum æquè parum suis viribus & conatu ad eandem resurgere queat; & præterea per ipsam Animæ mortem se indignum reddat gratuita Resuscitatione Divina.

## MEDITATIO CCCXVIII.

### *Continuatio ejusdem Historiæ.*

PUNCTUM I. *Tunc accesserunt Discipuli ad JESVM secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum? Dixit illis JESVS: propter incredulitatem vestram.* Matth. 17. v. 18. Sic postquam cum turba in procuranda Salute Proximi versati sumus, familiari ad DEVM regressu ab eadem identidem nos subducere